



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXXI. De Spiritualibus Exercitijs Matris B. Meinulphi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T XXXI.

De Spiritualibus Exercitijs Matris B. Meinulphi.

AUdi rem speciali gratiâ redundantem! Mater B. MEINULPHI jam noviter de gentilitatis errore ad fidem Christi conversâ, cum vir ejus fide catholica imbutus mortuus in bello sit, ipsa eadem viduata marito continentiam proximam virginitati palmam observare decrevit. Ipsa etiam Wichtrud vocabatur, quod vocabulum quodam veritatis præfagio sortiebatur, quia pro Christi nomine cum vitijs & concupiscentijs bellum legitimè gessit. Prædictum textum de vita B. MEINULPHI extractum cum legissem, non sine vulgari gaudio perfusus legi, ex eo quòd tam nobilis fœmina, quæ antea brevi videlicet temporis intervallo transacto ligna & lapides in gentilitatis errore adoraverat, jam ad fidem Christi conversâ pro utili ac bono exercitio locò Magistri timorem & amorem DEI sibi constituerat. Verùm animadverteram, quòd eadem nobilis fœmina nomine Wichtrud quasi quodam veritatis præfagio gauderet, quia pro Christi nomine cum vitijs & concupiscentijs bellum legitimè gessit, & ejusdem nominis præfagium quid prætenderet, cum minimè intelligerem, devotum super hoc consului virum, ut quid præfatum nomen significaret, explanaret. Hic quia præcipuus in ejusmodi mysterijs habebatur inter Fratres Monasterij B. MEINULPHI, paululùm deliberatus super hoc mihi respondens ait in hæc verba: Ex quo Wichtrudt Mater B. MEINULPHI cum vitijs & concupiscentijs bellum legitimè gessit, ut præfertur, ideo inditum nomen ejus, quod est Wichtrudt, secundum præfagium ad effectum prædicti spiritualis belli in materna lingua meritò sic sonare videtur: *Weichet dar üt*: ac si Christus mulieri noviter ad ejus fidem conversæ ita loqueretur: spirituales præpara tibi libram & concupiscentias tuas malas ac alia peccata tua, quæ in te ponderosa sunt sicut talentum plumbi, velut per libram in æquitatis lance de interioribus tuis librando deicere non abstinas, & ita nomine tuo, quod est Wichtrudt uteris ad tui ipsius æternam salutem, dum id quod in te vitiosum & damnosum est, *Weichet dar iiet* scilicet è cordè tuo. Nec talis nominis dicti interpretatio, ut præfertur, alicui extranea videatur, cum Omnipotens

